INDEX LECTIONUM

IN

LYCEO REGIO HOSIANO BRUNSBERGENSI

PER AESTATEM

A DIE XV. APRILIS ANNI MDCCCLXXXVII

INSTITUENDARUM.

PRAECEDIT **PROF. DR. WILHELMI WEISSBRODT** COMMENTATIO: DE VERSIONIBUS SCRIPTURAE SACRAE LATINIS OBSERVATIONES MISCELLAE. PARTICVLA I.

BRUNSBERGAE, 1887.
TYPIS HEYNEANIS (R. SILTMANN).

LYCEI REGII HOSIANI H. T. RECTOR

Dr. WILHELMUS KILLING,

PROFESSOR PUBLICUS ORDINARIUS.

LYCEI REGII HOSIANI BRUNSBERGENSIS

RECTOR ET SENATUS

CIVIBUS SUIS

S.

De versionibus Scripturae Sacrae latinis observationes miscellae.

Particula I.

I. De ordine evangeliorum.

Bibliotheca Regia publica Dresdensis possidet librum manu scriptum signatum A 63, evangelia [1]) Hieronymiana eo quo nunc utimur ordine exhibentem, qui in fol. 95 sic habet, nisi quod aliter distinguit: „Explicit euangelium secundum Lucam, incipit argumentum secundum Iohannem. Hic est Iohannis euangelista unus ex discipulis dei, qui uirgo electus a deo est, quem de nuptiis uolentem

---

[1]) Cum certissima eius quae inter singulos libros intercedit necessitudinis indicia haud raro in praefationibus et capitulis deprehendantur, codicis Dresdensis lectionem repraesentamus integram, quo facilius alios quosdam codices conferamus.

„Incipit argumentum euangelii secundum Matheum. Matheus ex Iudaea sicut in ordine primus ponitur, ita euangelium in Iudaea primus scripsit. Cuius uocatio ad deum ex publicanis actibus fuit; duorum in generatione Christi principia praesumens unius cuius prima circumcisio in carne, alterius cuius secundum cor electio fuit; et ex utrisque in patribus Christus sicque quater denario numero triformiter posito principium a credendi fide in electionis tempus porrigens, et ex electione usque in transmigrationis diem dirigens, atque a transmigrationis die usque in Christum definiens, decursam aduentus domini ostendit generationem, ut et numero satisfaciens et tempore et se quod esset ostenderet et dei in se opus monstrans etiam quorum genus posuit Christi operantis a principio testimonium non negaret. Quarum omnium rerum tempus ordo numerus dispositio uel ratio quod fidei necessarium est dominus Christus est, qui factus est ex muliere, factus sub lege, natus ex uirgine, passus in carne, omnia in cruce fixit, ut triumphans ea in semetipso resurgens in corpore et patris nomen in patribus filio et filii nomen patri restituens in filiis, sine principio, sine fine, ostendens unum se cum patre esse quia unus est. In quo euangelio utile est desiderantibus deum sic prima uel media uel perfecta cognoscere, ut et uocationem apostoli et opus euangelii et dilectionem dei in carne nascentis per uniuersa legentes intellegant, atque id in eo, quo adpraehensi sunt et adpraehendere expetunt, recognoscant. Nobis enim hoc in studio argumenti fuit et fidem factae rei tradere et operantis dei intellegendam diligenter esse dispositionem quaerentibus non tacere.

Explicit argumentum. Incipiunt capitula:

I. Natiuitas Iesu Christi; magorum munera, occultatio Iesu, infantes interficiuntur (Hodie est cap. I—II 18).

II. Regressus Iesus ex Aegypto in Nazareth a Iohanne in Iordane baptizatur (II 19—III).

III. Iesus temptatus a diabulo uidit Petrum et Andream, Iacobum et Iohannem, piscatores, conuocat et circumiens uarios languores hominum curat (IV).

nubere uocavit deus: cui uirginitatis in hoc duplex testimonium in euangelio datur, quod et prae ceteris dilectus a deo dicitur, et huic matrem suam de cruce commendauit dominus, ut uirginem uirgo

IIII. De beatitudine et ceteris mandatis (V—VI 4).

V. Orationem docet inter cetera mandata; non esse cogitandum de uictu et uestimento praedicit (VI 5—34).

VI. Non esse praeiudicandum. De margaritis ante porcos non mittendis; petendum et quaerendum et pulsandum. A pseudoprophetis cauendum, quia non omnes, qui dicunt mihi: domine! domine! intro ibunt in regnum caelorum. De domo aedificata supra petram uel harenam (VII).

VII. Leprosum mundat; puerum centurionis paraliticum curat; socrum Petri a febribus liberat; plurimos curat, et ut mortui mortuos suos sepeliant cuidam dicit (VIII 1—22).

VIII. Nauigans tempestatem sedat; in terra Gerasenorum demonia eicit (VIII 23—34).

VIIII. Paraliticus curatus lectum suum baiolat; Matheum conuocat; dicit Phariseis, non esse opus sanis medico; parabolam panni et scissurae et utrium uini ponit; mulierem a profluuio liberat et filium cuiusdam principis mortuum suscitat. Cecis oculos aperit; surdum et mutum demonium eicit (IX).

X. Duodecim apostolos praemittit cum omni doctrina ac dicit, quod non uenerit pacem mittere supra terram, sed gladium (X).

XI. Iesus testimonium de Iohanne dicit atque increpat ciuitates, quae credere noluerunt; confessio Iesu ad patrem et quod iugum domini leue sit (XI).

XII. Discipuli spicas uellunt; manum aridam habentem sanat; hominem a demonio cecum et mutum liberat et in principe demoniorum id facere opinantes destruit. Ionae et Nineuitarum signum Phariseis tradit; matrem̄ et fratres spernit (XII).

XIII. De nauicula turbis parabolas exponit; prophetam in patria sua sine honore esse dicit (XIII).

XIIII. De Iohannis capite in disco; de quinque panibus et duobus piscibus in quinque milia uiros; Iesus supra mare ambulans Petrum mergentem alleuat (XIV).

XV. Quod ea magis, quae de ore exeunt, coinquinarent hominem; filiam mulieris Sirophenissae a demonio liberat et multos alios curat (XV 1—31).

XVI. De septem panibus in quattuor milia uiros; a fermento Phariseorum cauendum; Petrus Christum dei filium esse confitetur; quem post paululum dure increpat (XV 32—XVI).

XVII. In monte transfiguratur; puerum lunaticum curat; de statere in ore piscis (XVII).

XVIII. Humilitatem docet sicut pueri; et nec minimum fidelium scandalizandum, quod angeli eorum faciem patris semper uideant; corripiendos fratres et sepius indulgendum (XVIII 1—22).

XVIIII. Similitudo de illo, qui conseruum suum propter centum denarios suffocat; de eunuchis; infantes non esse arcendos a benedictione; difficile diuitem introire in regnum caelorum (XVIII 23—XIX 29).

XX. De primis nouissimos futuros; parabola operariorum in uineam conductorum. De petitione filiorum Zebedei et de primis accubitis cenae; de duobus cecis secus uiam curatis (XIX 30—XX).

XXI. De asina et pullo eius. De ficu arefacta. Interrogatur de Iohanne Baptista, subiungens parabolam duorum filiorum in uineam missorum (XXI 1—32).

XXII. Parabola de uinea et colonis, qui interficiunt ad se missos; parabola de his, qui inuitati ad nuptias venire contemnunt; de denario Cesaris (XXI 33—XXII 14).

XXIII. De muliere, quae septem fratres habuit; Iesus temptatus a Phariseis interrogat, cuius filius est Christus (XXII 15—XXIII 12).

XXIIII. Increpat scribas dicens: uae uobis scribae et Pharisei. Increpatio ciuitatis de occisione prophetarum et lapidatione (XXIII 13—36).

XXV. Hierusalem! Hierusalem! De signis nouissimorum dierum. De aduentu saluatoris. De X uirginibus. De talentis. De ouibus a dextris et hedis a sinistris (XXIII 37—XXV).

XXVI. De Iudaeorum concilio de conprehendendo Iesu, et cetera, quae in cena domini gesta sunt (XXVI 1—30).

XXVII. Petro praedicit, quod tertio eum negaturus esset. Oratio Iesu ad patrem et cetera cum traderetur. (XXVI 31—XXII 26).

XXVIII. Passio domini et sepultura et resurrectio eius, itemque mandata et cetera doctrina eius de baptismo (XXVII 27—XXVIII).

Expliciunt capitula; incipit euangelium secundum Matheum."

„Explicit euangelium secundum Mattheum, incipit prologus secundum Marcum. Marcus euangelista dei et Petri in baptismate filius atque in diuino sermone discipulus, sacerdotium in Israhel agens secundum carnem laeuita, conuersus ad

seruaret. Denique manifestans in euangelio quod erat ipse incorruptibilis uerbi opus inchoans, solus uerbum caro factum esse nec lumen a tenebris conprehensum fuisse testatur, primum signum ponens

---

fidem Christi euangelium in Italia scripsit, ostendens in eo, quid et generi suo deberet et Christo. Nam initium principii in uoce propheticae exclamationis instituens ordinem laeuiticae lectionis ostendit, ut praedicans praedistinatum Iohannem filium Zachariae in uoce angeli annuntiantis emissum, non solum uerbum caro factum sed corpus domini in omnia per uerbum diuinae uocis animatum initio euangelicae praedicationis ostenderet, ut qui haec legens sciret cui initium carnis in domino et Iesu aduenientis habitaculum caro deberet agnoscere, atque in se uerbum uocis quod in consonantibus perdiderat inueniret. Denique et perfecti euangelii opus intrans et a baptismo domini praedicare deum inchoans non laborauit natiuitatem carnis quam in prioribus uiderat dicere, sed totus exprimens expositionem deserti ieiunium numeri temptationem diaboli, congregationem bestiarum et ministerium protulit angelorum, ut instituens nos ad intellegendum singula in breui conpingens nec auctoritatem factae rei demeret et perficiendo operi plenitudinem non negaret. Denique amputasse sibi post fidem pollicem dicitur, ut sacerdotio reprobus haberetur, sed tantum consentiens fidei praedistinata potuit electio, ut nec sic in opere uerbi perderet quod prius meruerat in genere. Nam Alexandriae episcopus fuit, cuius per singula opus sciret et euangelii in se dicta disponeret et disciplinam in se legis agnosceret et diuinam in carne domini intellegeret naturam: quae in nos primum requiri, dehinc inquisita uolumus agnosci, habentes mercedem exhortationis quoniam et qui plantat et qui rigat unum sunt, qui autem incrementum praestat deus est."

(Littera t verbis scire, disponere, agnoscere, intellegere a dextera superscripta est.)

„I. De Iohanne Baptista et uictu et habitu eiusdem; baptizatus Iesus et temptatus uicit.

II. Petrum et ceteros sequi iubet; hominem ab spiritu inmundo eripit; socrum Petri a febribus liberat et alios multos curat. Iacobum Alphei sequi iubet et Iudaeis dicit, non esse opus sanis medicum (Ipse textus aliter diuisus est; caput II incipit ab eius qua hodie utimur editionis versu 29 capitis I; non, ut debuit, a versu 14; pertinet usque ad II 23).

III. Discipuli uellunt spicas; manum aridam habentem sanat; duodecim apostolorum electio; de Beelzebub principe demoniorum (II 23—III 30).

IIII. Matrem et fratres spernit; parabolam seminantis dicit; nauigans tempestatem sedat et demoniorum legionem ab homine expellit (III 31—V 20).

V. Archisynagogi filiam mortuam suscitat; prophetam in patria sua sine honore esse dicit; duodecim discipulos praemittit cum praeceptis; de capite Iohannis (V 21—VI 29).

VI. Regressio apostolorum ad Iesum; de quinque panibus et duobus piscibus quinque milia uirorum saturat; Iesus supra mare ambulat; ea magis coinquinare hominem dicit, quae exeunt de ore (VI 30—VII 23).

VII. Filium Syrophenissae a demonio liberat; surdum et mutum curat, dicens ei: effeta! De septem panibus in quattuor milia hominum; monet caueri a fermento Phariseorum; de sputo ceco oculos aperit; Petrum post confessionem suam dure increpat; in monte transfiguratur; non posse spiritum inmundum eici nisi per ieiunium et orationem dicit (VII 24—IX 28).

VIII. Humilitatem docet, et non esse prohibendum, qui in nomine eius uirtutem facit, et de calice aquae frigidae; uxorem non dimittendam, infantes a benedictione non esse arcendos; uenditis omnibus elymosinam dandam; et quia difficile diues in regnum caelorum sit ingressurus (IX 29—X 31).

VIIII. Euentura sibi praedicit; petitio filiorum Zebedei; de ceco mendicante curato; de pullo asinae (X 32—XI 26).

X. Interrogatur, in qua potestate haec faceret; parabolam de uinea et colonis et denario Caesaris; de muliere, quae septem fratres habuit; et quendam scribam non longe esse a regno dei; atque interrogat, quomodo dicatur Christus filius Dauid, cum sit dominus; de uidua in gazophilacio; de templi structura (XI 27—XIII 2).

XI. De pseudochristis et passione martyrum et commotione saeculi et de aduentu Christi (XIII 3—37).

XII. De unguento super caput Iesu effuso et de proditione Iudae, qua dominum tradidit, et cetera (XIV 1—59).

XIII. Iudicium principum, quo condemnant Iesum; passio Iesu et sepultura et resurrectio eius (XIV 60—70, XV, XVI)

Expliciunt tituli Marci; incipit euangelium eiusdem."

„Explicit euangelium secundum Marcum; incipit prologus secundum Lucam. Lucas Syrus, Antiocensis, arte medicus, discipulus apostolorum, postea Paulum secutus, usque ad confessionem eius seruiens deo sine crimine. Nam neque uxorem umquam habens neque filios, septuaginta et quattuor annorum obiit in Bithinia plenus spiritu sancto. Qui cum iam descripta essent euangelia, per Matheum quidem in Iudaea, per Marcum autem in Italia, sancto instigante spiritu in Achaiae partibus hoc scripsit euangelium, significans etiam ipse in principio ante alia esse descripta; cui extra ea, quae ordo euangelicae dispositionis exposcit, ea maxime necessitas laboris fuit, ut primum grecis fidelibus omni prophetatione uenturi in carnem dei Christi manifesta humanitas nec iudaicis fabulis attendi in solo legis desiderio tenerentur ne uel hereticis fabulis et stultis

quod in nuptiis fecit dominus, et ut ostendens quod erat ipse legentibus demonstraret, quod ubi dominus inuitatur, deficere nuptiarum uinum debeat, ut et ueteribus inmutatis noua omnia quae a

---

sollicitationibus seducti excederent a ueritate elaboraret: dehinc ut in principio euangelii Iohannis praesumpta, cui euangelium scriberet et in quo electus scriberet indicaret, contestans in se completa esse quae essent ab aliis inchoata. Cui ideo post baptismum filii dei a perfectione generationis in Christo implete repetendae a principio natiuitatis humanae potestas permissa est, ut requirentibus demonstraret in quo adpraehendens erat per Nathan filium introitum recurrentis in deum generationis admisso indisparabilis dei, praedicans in hominibus Christum suum perfecti opus hominis redire in se per filium faceret, qui per Dauid patrem uenientibus iter praebebat in Christo. Cui Luce non inmerito etiam scribendorum apostolicorum actuum potestas in ministerio datur, ut deo in deum pleno et filio proditionis extincto, oratione ab apostolis facta sorte domini electionis numerus compleretur, sicque Paulus consummationem apostolicis actibus daret, quem diu contra stimulum recalcitrantem dominus elegisset. Quod et legentibus ac requirentibus deum etsi per singula expediri a nobis utile fuerat, sciens tamen quod operantem agricolam oporteat de fructibus suis edere, uitauimus publicam curiositatem, ne non tam uolentibus deum uideremur quam fastidientibus prodisse.

Incipiunt capitula secundum Lucam.

I. Zacharias uiso angelo quia non credidit obmutuit; Elisabeth uxor eius concepit; Maria quoque de spiritu sancto cum concepisset, salutauit Elisabeth; salutata prophetauit et peperit, et ut nomen filii sui Ioh. Zarias [sic] scripsit, locutus est ac filium praeiturum ante dominum prophetauit. Posteaquam peperit Maria, Iesum infantem in praesepio posuit, quem pastores iuxta angelorum indicia inueniunt quique octaua die circumciditur (I—II 24).

II. Simeon iustus Christum manibus sumptum benedicit; Anna prophetissa uidua multa de Christo prophetat. Iesus annorum XII in templo cum doctoribus legis inuentus in patris se esse oportere pronuntiat (II 25—52).

III. Anno XV Tiberii Cesaris Pilato curante Iudeam Iohannis Baptista poenitentiam praedicat et fortiorem Christum uenturum designat; quo baptizato columbae figuram spiritus supra descendit; uox etiam de caelo filium dei indicat, quem putabant filium Ioseph (III).

IIII. Ductus in desertum Iesus XL diebus ieiunauit et a diabulo temptatus uicit; reuersus in Galileam docet et sabbatis synagogam ingressus Esaiam se signare ac nullum prophetam in patria sua dicit acceptum; de qua eiectus apud Capharnaum hominem a demonio sabbatis liberat et socrum Simonis a febribus et multos male habentes curat et demonia se confitentia increpat; de naui alloquitur, de qua pisces multos capi facit; ubi etiam Petrum, Iohannem et Iacobum elegit; leprosum mundat; in deserto orat (IV—V 16).

V. Paraliticum dimissum per tectum Iesus a peccatis et ab infirmitate liberat; Leui publicanum sequi iubet, apud quem murmurantibus Phariseis cenans dicit, sanis non esse opus medicum; et de ieiunio disputans parabolam panni et utrium ponit; spicas uellentibus discipulis panes propositionis commemorat; hominem manum aridam habentem sabbatis curat. In oratione pernoctat; apostolus [sic] elegit. Turbas alloquitur, beatitudinem aliorum et aliorum infelicitatem promittens, parabolam proferens de ducatu coeti et magistri et discipuli et festucae in oculo uel trabis, et arboris boni fructus uel mali; et hominem, qui domum supra petram uel super arenam aedificauit (V 17—VI).

VI. Centurionis puerum curat; uiduae filium resuscitat; Ioh. discipulos mittit ad Iesum, et Christus de Iohanne loquitur, subnectens similitudinem puerorum in foro sedentium; mulier peccatrix pedes Christi lauat et unget; propter quam parabola dicitur creditoris, qui parum uel multum concedit. In itinere sequentibus se turbis et mulieribus, quae curatae erant, similitudinem seminantis dicit, cuius semen in bonam terram uel petrosam cecidit; lucernam non sub uas, sed super candelabrum poni; matrem et fratres repudiat; nauigans post summum tempestatem sedat; hominem a maledictione liberat (VII—VIII 39).

VII. Iairi filiam dum iret resuscitare, mulierem a profluuio liberat; puellam uiuificat (VIII 40—56).

VIII. Mittens discipulos praedicare data eis omni potestate, quibus Herode mirante reuersis in deserto V panibus et duobus piscibus V milia uirorum satiat. Interrogans, quem se dicerent turbae, a Petro Christus declaratur et monet abnegatis omnibus crucem tolli et se insequi, designans esse illic, qui mortem non gustarent ante uisionem gloriae eius (XI 1—27).

VIIII. In montem assumpto Petro, Iohanne et Iacobo Christus transfiguratur, inter Moysen et Heliam uisus, ubi tria tabernacula Petrus debere fieri dicit, et nube obumbrantur, ac uox caelestis filium declarat; puerum lunaticum liberat, ac se tradi habere pronuntiat, et cogitantes discipulos, quis eorum maior esset, instruit. Ac non prohibendum, qui in nomine suo uirtutem faciat. A Samaritanis non recipitur et uolentes apostolos ignem super eos descendere increpat; sequi uolenti se non habere, ubi caput reclinet, praedicit; alterum tamen ipsa etiam patris morte intermissa ad sequendum elegit, et alio uolenti suis primum renuntiari aratoris figuram ponit retro aspicientis (IX 28—62).

Christo instituuntur appareant: de quo singula quaeque in mysterio acta vel dicta euangelii ratio quaerentibus demonstrat. Hoc autem euangelium scripsit in Asia, posteaquam in Phatmos insula

---

X. Elegit LXXII, quos mittit ad praedicandum; ipse uero increpat ciuitates et reuersos discipulos ex eo dicit feliciores, quod eorum nomia (sic) in caelo essent scripta; ob quam rem gratias agit patri; quod bona sint paruulis reuelata; et omnia sibi a patre tradita manifestat, quem neminem nisi filium nosse declarat, beatosque oculos, qui uiderant id, quod profetis non contigit. A legis perito temptatus mandata, quae fieri praecipit dominus, parabolam uulnerati, quem leuita et sacerdote praetereunte Samaritanus colligit. Apud Martham Mariae partem conlaudat (X).

XI. Post orationem propriam docet orationem et parabolam ponit eius, qui propter tedium dat postulanti panem; petendum esse, quaerendum et pulsandum, exemplum asserens. Demon(i)um eiciens in principem demoniorum idem Farisaei opinantes destruxit beatosque dicit, qui audiunt uerbum et custodiunt, dans signum Ionae et reginae austri et Nineuitas in iudicio dicit fore beatos, et lucernam super candelabrum poni, et quod oculus sit lucerna corporis. Apud Phariseum inuitatus lauandum potius quod intus est elimosinis pronuntiat, increpans multos Pharisaeos et legis doctores (XI 1—52).

XII. Pharisaeis uolentibus cum eo contendere discipulos palam docet, ut eorum fallaciam caueant et eum timeant, qui potest post mortem in gehennam mittere, et plures esse discipulos V passeribus dipondio ualentibus, et negantem se negaturum, et peccanti in spiritu sancto non remittendum et non cogitari dum quid appraehensus loquatur. (Videtur fuisse *non cogitandum quid*). Petenti respondit, se non esse diuisorem hereditatis. Similitudinem eius, cui multa nata sunt, cuius anima eadem nocte peteretur, ac docet exemplis, non cogitandum de crastino, faciendamque elimosinam omnibus uenditis et uigilandum dicens Petro felicem esse bonum dispensatorem; inde dicit ignem mittere super terram, non pacem; turbis quoque dicit quod facilem (voluit *faciem*) caeli cognoscerent, tempora non intellegerent; quos monet ut dum in uia essent reconciliarentur aduersario, ne reclusi non exirent, donec nouissimum quadrantem redderent (XI 53—XII).

XIII. Cum ei nuntiatum fuisset, Galilaeos occisos, monet agendam poenitentiam, parabolam ficulneae subiungens, quam dominus cum infructuosam uellet excidi, cultor statim postulauit (Videtur fuisse *stercorari postulauit*). Cum mulierem annis X et VIII curuam erexisset, indignantem archisynagogum increpat, unde similitudinem grani sinapis subiungit, ex quo arbor maior holeribus nascitur, et fermenti, quod absconditum mulier in farina (Videtur fuisse *abscondit*). Et ut introeatur per angustum hostium ne cludatur. Farisaeis ei dicentibus, quia Herodes eum uellet occidere, dicit eum uulpem, et prophetam extra Hierusalem non perire, et increpat Hierusalem (XIII).

XIIII. Sabbatis curat hidropicum; discumbendi dat ordinem. Inuitantem ortatur pauperes pascere, similitudinem iungens hominis, qui excusantibus inuitatis caecos, clodos, debiles uocauit et turbas de plateis hortatur. Omnem affectionem propter se relinquendam, parabolam ponens turrem aedificare uolentis et regis (XIV 1—33).

XV. Sal fatuum esse non debere. Murmurantibus Pharisaeis de conuiuio pastorum (videtur fuisse *peccatorum*) dat similitudinem pastoris propter unam ouem XCVIIII relictis, et mulierem, quae unam dragmam perditam inueniens gaudet, sed et hominis, qui duobus filiis suis substantiam diuisit, ex quibus iunior prodige egit, pro quo uitulus occiditur. De dispensatore prodigo, qui sapienter fecit, et ideo exemplis hortatur operandum et deridentes eum Pharisaeos increpat, legem et prophetas usque ad Iohannem dicens, ac moechari eum ostendit, qui sua dimissa alteram accipit uxorem et ab alio dimissam ducit (XIV 34—XVI 18).

XVI. Parabolam de diuite et Lazaro, et nec minimum de credentibus scandalizandum, atque omnia accepta fratri remittenda, et quod fides ut granum sinapis transferat arbore mori in mare; quoque (?) seruitium debitum exhibendum; X leprosi curantur, ex quibus unus reuersus Iesum sequitur gratias agens deo; intra nos esse regnum dei; regnum autem ipsum iuxta exemplum Noe uel Loth subito uenire, ac tunc alium assumi et alium relinqui; et ubi fuerit corpus, illic aquilae; similitudinem uiduae rogantis et iudicis iniqui et duorum in templo rogantium et infantes non prohibendos; similitudo diuitis et cameli facilius per foramen acus transituri, et omnia relinquenda (XVI 19—XVIII 30).

XVII. Cum discipulis aduentura sibi indicaret, caecum medicantem curauit. (Huiusmodi menda dedita opera retinui). Zacheum conlaudat dimidiam substantiam pauperibus offerentem, et similitudinem de eo, qui X mnas iturus ad regnum seruis suis distribuit, et de exitio eorum, qui eum regem recussauerunt. Super pullum asinae sedit et super Hierusalem fleuit, et uentura ei praedicit ibi; de templo mensas euertit et uendentes columbas eicit. Pharisaeos interrogantes, in qua potestate haec faceret, de baptismo Iohannis interrogat, parabolam subiungens eius, qui cum seruos misisset ad uineam, postea filium misit; et de lapide ab aedificantibus reprobato (XVIII 31—XX 19).

XVIII. Temptatus de tributo respondit. De muliere, quae VII uiros habuit; addit de se interrogans, quomodo Christus filius Dauid esset, cum eum ipse dominum dicat. Et monet ab scribis cauendum; uiduam laudat, quae in donario duo minuta misit. De templi structura et de futura persecutione et exitu Hierusalem et fine saeculi; de aduentu Christi in maiestatem, et similitudinem ficulneae, et monet uigilandum (XX 20—XXII 1).

apocalipsin scripserat, ut cui in principio canonis incorruptibile principium in genesi, etiam incorruptibilis finis per uirginem in apocalipsi redderetur, dicente Christo Ego sum *A* et *Ω*. Et hic est Iohannes, qui sciens superuenisse diem recessus sui conuocatis discipulis suis in Epheso per multa signorum experimenta promens Christum, discendens in defossum sepulturae suae locum facta oratione positus est ad patres suos, tam extraneus a dolore mortis, quam a corruptione carnis inuenitur alienus. Qui etsi post omnes euangelium scripsisse dicitur, tamen dispositione canonis ordinati post Matheum ponitur, quoniam quae in deo nouissima sunt non velut extrema numero, sed plenitudinis opere perfecta sunt. Tamen post omnes euangelium scripsit: et hoc uirgini debebatur. Quorum tamen uel scriptorum tempore dispositio uel librorum ordinatio ideo per singula a nobis non exponitur, ut scienti desiderio conlocato et querentibus fructus laboris et deo magisterii doctrina seruetur.

Explicit argumentum, incipiunt capitula"[2]).

XVIIII. De azimorum die appropinquante; Iudas demone repletus detrahendi (videtur fuisse *querit trahendi*) tempus pecunia sibi promissa; et discumbentibus secum discipulis sacramentum panis et calicis ostendit ac traditorem designat Certantibus de gradu eum praefecit, qui ministrat, et Petro dicit, quod eum esset negaturus, ac monitis discipulis, ut uendito uestimento emant gladium, pergit ad montem Oliueti; qui (videtur fuisse *uui* pro *ubi*) cum orasset, discipulos excitat dormientes (XXII 2—46).

XX. Antecedente Iuda uenit turba, et osculo traditur Christus, et Petrus auriculam seruo abscidit, ducto Iesu ad domum principis sacerdotum. Petrus ibi ter negauit; Christus deluditur, interrogatus a Iudaeis et ab Herode; ac tunc in amicitiam Pilatus et Herodes redeunt. Barabbas dimittitur, et Iesus Iudaeis sufficiendus traditur, qui plangentibus eum mulieribus ut sese magis plangerent dixit, et inter latrones fixus aceti potum accepit; titulo rex designatur; a quo unus ex atronibus credens ad paradisum ducitur. Ab hora VIta usque ad VIIIIam dies obscuratus est, et Iesu spiritum emittente uelum templi scissum est, quibus uisis centurio et qui aderant dominum magnificant. Ioseph postulat corpus, sepelit, quod mulieres relinquentes non inueniunt (XXII 47—XXIV 8).

XXI. Nuntiant mulieres uisionem angelorum nec credunt; discipuli euntes duo ad castellum in panis fractione Christum cognoscunt et reuersi discipulis indicant, quibus apparuit et plagas non credentibus ostendit, ac piscem ac fauum edendum accepit; alloquitur apostolos et cor eorum aperit ad intellegendum quod hoc compati (eum pati) oportuerit, et ut illic esset (essent), donec in eos ueniret uirtus admonuit. Tunc benedixit eos et recessit reliquitque laudantes deum in templo (XXIV 9—53)."

2) Capitula haec sunt:

„I. Pharisaeorum leuitae interrogant Iohannem. Iohannes Iesum uidens agnum dei dicit, et Andreas Petro dicit: Inuenimus Messiam. (Hodie est c. I 19—51; I vv. 1—18 scriptori prologus sunt; capitula in margine numeris indicantur, in contextu litteris uncialibus primi cuiusque versus, i. e. primae lineae, si ita dicere licet, distinguuntur.)

II. Iesus ad cenam de aqua uinum facit, de templo nummularios eicit, soluite hoc templum dicens. Nichodemo loquitur de baptismo et de aliis multis (II—III 21).

III. Iesus in Iudea baptizat et Iohannes me nonquique dicit Christum crescere, se autem minorari (III 22—36; scribe: Iohannes in Enon; quique).

IIII. Iesus autem cum muliere Samaritana loquitur; prophetam in patria sua sine honore non habere esse dicit; reguli filium a morte resuscitat (IV integrum; scriptor illud *autem* ex cap. III iteravit, confudit haec: *sine honore esse* (Marc.) et *honorem non habere* (Ioh.).

V. Apud natatoriam Bethsaidam triginta octo annorum infirmitatem hominis sanat ac dicit: scrutamini scripturas, et si crederetis Moysi, crederetis forsitan et mihi. (V.)

VI. De quinque panibus et duobus piscibus, et quod eum regem facere voluerunt; Iesus supra mare ambulat et de mandatis et de pane caelesti loquitur ac recedentibus ab eo discipulis unum ex XIIm diabolum dicit (VI).

VII. Schenophegia; Iesus medio die festo ascendens in templum docet, multis etiam de turba credentibus. Idem clamat: si quis sitit, veniat et bibat; cum ministris et Nichodemo principes contendunt; de adultera; Iesus lumen mundi esse se praedicat (VII—VIII 20).

VIII. Iesus interrogatus principium se esse respondit; quod omnis peccator seruus sit et quod Iesus ante Abraham sit; caecum ex natiuitate curat (VIII 21—IX).

Hoc argumentum sive prooemium evangelii secundum Iohannem Dresdense, etsi emendatione egeat, quam collatis aliis quibusdam libris manu scriptis infra temptabimus, tamen nunc iam liquet non esse neglegendum, si quis aut de ordine evangeliorum aut de scriptis antehieronymianis disserit. Ut breviter dicam quod sentio: prooemia ista quattuor evangeliorum ab uno rhetore vel grammatico Christiano conscripta sunt ante Hieronymi tempora; capitulationes istae aetati multo inferiori debentur. Prooemium evangelii secundum Iohannem addendum esse apparet iis testimoniis, quae in Novi Testamenti editione Tischendorfiana octava critica maiore vol. III. p. 137 collegit Gregorius; Iohannes sequitur Matthaeum apostolum apostolus; Lucas et Marcus apostolorum discipuli tertium et quartum locum tenere videntur. Quoniam Hieronymus evangeliis, ad quae in universum praefatus erat, singulis praefationes non addidit, ii qui post Hieronymi aetatem evangelistaria exarabant, praefationibus solitis carere noluerunt. Sed in praefatione evangelii secundum Iohannem in duas fere partes discedunt. Alii enim tralaticia verba sine ulla dubitatione exscripserunt; alii vero, qui ea ordini evangeliorum, quem in versione secutus erat Hieronymus, iam non convenire senserant, suppresserunt, quamquam reliqua inter se iam non cohaerebant.

Velut codex Amiatinus longe celeberrimus habet haec: . . . *invenitur alienus. Tamen post omnes evangelium scripsit, et hoc virgini debebatur* (Tischendorf p. 144). Hoc *tamen* plane absurdum est; quid corruptio carnis ad tempus vel ordinem evangelii conscribendi pertinet? Scriptor hoc voluit dicere: *post omnes scripsit, sed altero loco ponitur.*

In errorem inductus est Sabaterius, qui tom. III. p. 383, ubi ex Ms. Colbert. n. 4051 eundem, qui in Amiatino habetur, textum rettulit, haec adnotavit: *Ms. Turon. sequentia sic mutat: Qui etsi post omnes evangelium scripsisse dicitur: tum addit: tamen dispositione canonis ordinati post Matthaeum ponitur. Quoniam in domino quae novissima sunt* cet. ut supra. Neque enim de mutato textu agitur, sed de integro.

Ex libris iam editis praeter eos quos citavi hic non habeo quem conferam nisi Codicem Aureum Holmiensem, in quo teste Belsheimio p. IX. prologi ad evangelia Marci et Iohannis aliaeqe particulae ostendunt manum diversam ab ea, quae textum evangeliorum scripsit. Belsheimius textum Hieronymo

---

VIIII. De ianua et oliui; per dedicationem deambulat in templo; se et patrem unum esse dicit; de Lazari resurrectione (X—XI 54; scribe ouili; dedicatio sunt Encaenia.)

X. Maria pedes Iesu unguit et capillis suis extergit; Iesus super asinum sedit et uolentibus Grecis uidere Iesum loquitur de grano frumenti quod in terram mittatur; et uox de caelo ad Iesum, et quod multi ex principibus crediderunt in Iesum, sed propter Pharisaeos non confiterentur (XI 55—XII.)

XI. Pedes discipulorum lauat; de Iudae traditione et Petri negatione praedicit, et de dilectione fratrum, et quod ipse in Patre et Pater in illo est; et de observandis mandatis paracleti spiritus (XIII—XIV).

XII. De uinea et palmitibus, et de dilectione et de promissio(ne) paracleti; et omnia patris sua esse, et cetera mandata (XV—XVI).

XIII. Iesus discipulos patri commendat; Iesus a Iuda traditur; adloquutio Pilati ad Iudaeos de Iesu et de Barabba (XVII—XVIII 27).

XIIII. Passio Iesu et sepultura et resurrectio eius.

Expliciunt capitula."

Et de hac capitulatione mendisque scripturae in aliis libris evitatis et de antiquioribus quae sint aut videantur capitulationibus explicatius disserere me posse spero in particula II. Quomodo factum sit, ut in Millenario Cremifanensi capitulatio antiquior evangelio secundum Matthaeum, recentior ceteris evangeliis tribueretur, nondum dispicio.

*

antiquiorem esse censet; certe prologus omissione illa, quam nemo casui deberi opinabitur, posthieronymianam recensionem testatur.[3])

Mutilum habent Wirceburgenses praeter n. 67, in quo prologus desideratur, Vindobonenses, liber plane egregius Millenarius Cremifanensis, quamquam is in fronte involucri evangelistarum imagines hoc ordine Math. Ioh. Luc. Marc. repraesentat, ut non possim quin credam antiquissimum aliquod exemplar artificem secutum esse; mutilum etiam Salisburgensis S. Petri, Dessavienvis bibliothecae Ducalis n. 84, Magdeburgensis, Ehrenbreitensteiniensis,[4]) quem saeculo nono medio vel ineunti multi tribuunt; Strahoviensis, qui ex bibliotheca *S. Martini ad litus Mosellae* quomodo Pragam in bibliothecam Praemonstratensium pervenerit nescio, saeculi noni ineuntis; Aureus Treverensis, Prumiensis, qui in bibliotheca Treverensi publica asservatur, Erlangenses duo, Monasteriensis, alii. In textum non decurtatum multo rarius incidimus, velut in Aureo Monacensi et in Berolinensibus numeris 1 et 25 signatis.

Quominus autem decurtatos ad unam recensionem revocemus, obstat enuntiatum illud relativum: *de quo singula quaeque in mysterio acta vel dicta evangelii ratio quaerentibus demonstrat* vel *monstrat*, servatum id quidem in Amiatino et Magdeburgensi, eiectum ex reliquis. Contra singulari scribae vel grammatici socordia laborat Berolinensis n. 3: *qui etsi post omnes evangelium scripsit, et hoc virgini*

---

[3]) Qui libri vere antehieronymianam versionem contineant, quique antehieronymiana quaedam inter contextum Hieronymianum servaverint, de ea re quaerere nondum supervacaneum videtur. Velut quod Tischendorfius ed. VIII crit. mai. p. 3 refert ex libris perantiquis *Ioseph cui desponsata virgo Maria*, cuius loco Hieronymus *virum Mariae* vertit (*τὸν ἄνδρα Μαρίας*), idem habet Wirceburgensis fol. 67, qui in tota illa quaestione primarium quendam locum obtinet, de qua re in altera commentationis parte plura dicam, habet Erlangensis quoque (n. 525—26). Non tam timuisse videntur interpretes, ne haereticis, qui inde ab Ebionitarum temporibus Christum contenderant filium Ioseph esse, ansam praeberent, quandoquidem evangelistae narratio inde a. v. 18 omnem si qua posset legenti oboriri dubitationem tolleret, quam praecavisse, ne sola voce sensum pietatis offenderent. — Vulgaria autem, sive verba sive scripturae, sexcentis locis sua sponte, nullo textu antehieronymiano scribis obversante, in textum Hieronymianum irrepserunt, ut similitudo quaedam textus antehieronymiani ultro existeret. Hoc loco satis habeo obiter paucissima tetigisse, quae in singulorum codicum descriptione accuratius enarrabo. Non dubitabis, quin Hieronymus Math. VI. 4 bis, 5 bis, 18 bis, aliis locis scripserit, quod in codice Amiatino extat *in abscondito*, sed longe plurimi librorum usque ad saeculum XVI conscriptorum aut omnibus locis habent *in absconso*, aut uno vel duobus tribusve locis cum *libro domus sancti Martini episcopi in wesalia inferiori, quem dedit fratribus dilectus pater dominus Henricus Ahues, quando primo misit eos wesaliam*, qui est *liber domus fratrum fontis salientis* cuique inscriptus est annus 1539. Nunc est in bibliotheca seminarii clericalis Monasteriensis. Idem liber habet: *quod si sal evanuerit, in quo sallietur*, ut multis saeculis ante habuit Vercellensis; idem *sallietur* habet Amiatinus, neque tamen Hieronymo imputaveris; redit Marc. IX 48 non solum in Amiatino et Fuldensi, sed etiam in Monasteriensi. *Ne quis vellit, ne vellitis* iam primo p. C. n. saeculo vitiose scriptum est in epitaphio liberti cuiusdam Ti. Claudii C. I. L. VI 15048, de quo dixi in prooemio indicis scholarum hib. 1886/87 p. 16; scriptum est in codice Vercellensi Luc. III 8, aliis versionum antehieronymianarum locis, scriptum est prima manu Matth. III 9 in Aureo Treverensi. Quin etiam de latinitate dubitasse videntur, nam quod in eodem Aureo Treverensi sex illis locis erat *in abscondito*, sexies mutatum est; in eodem apud Matth. V 43 nunc est *odies*, fuit *odio habebis*.

[4]) Ehrenbreitsteiniensis, qui ante turbas a Francogallis exeunte saeculo XVIII excitatatas ecclesiae ad S. Castorem Confluentinae vel ut rectius dicam capituli illius fuit, vulgari latinitate insignis est. Noli tamen de meris mendis ac neglegentia cogitare; ne ea quidem, quae a tralaticia scriptura longissime recedunt, ratione destituta sunt, velut ev. Ioh. I. 13 *qui neque ex voluptate carnis neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt*. Idem legi in Lipsiensi *volunptate carnis voluntate viri*, ubi prioris verbi litterae N cauda adiecta nihil aliud quam *np* significat, cum Erlangensis 526 bis *voluptate* peccet. Nimirum *voluntas* et *voluptas* quoties confusa sint, postquam Schuchardtius ni fallor primus ad eam rem adtendit, nemo nescit; interpretes autem illi subtiliter voluptatem carnis a voluntate viri distinxerunt. — Idem Ehrenbreitsteiniensis *cado caecidi, caedo cicidi* identidem discernit.

debebatur, omissa media parte sententiae. Denique qui codicem bibliothecae Dessaviensis n. 85 scripsit, membrorum ordinem ita invertit, ut eum omissionis poenituisse videatur. Dedit enim haec: . . . *alienus. Tamen post omnes evangelium scripsit. Tamen dispositione canonis ordinati post Matheum ponitur, quoniam in domino quae novissima sunt, non velut extrema et abiecta numero, sed plenitudinis opere perfecta sunt. Et hoc virgini debebatur. Quorum tamen etc.* Sed sperare licet, antiquiorum codicum et huius et ceterorum prologorum textu collato facilius indagatum iri, unde singuli venerint quotque fuerint familiae.

II. Versionis antehieronymianae cuiusdam fragmenta duo.

Fragmenta versionis cuiusdam antehieronymianae Magdeburgense et Quedlinburgense, quae in bibliotheca Regia Berolinensi asservantur, quomodo annis 1865 et 1869 detecta sint, enarraverunt von Mülverstedt, Zeitschrift des Harzvereins VII 1884, „über den Kirchenschatz des Stifts Quedlinburg," et Lic. Schum in theol. Studien und Kritiken 1876, „das Quedlinburger Fragment einer illustrirten Itala;" legerunt transscripseruntque v. Mülverstedt, Dr. Sattler, Schum. Cum vero omnis eiusmodi res ita comparata sit, ut postquam duo vel tres viri in ea elaboraverunt, quartus vel quintus illorum opera usus unam alteramve litteram etiam rectius legat et ab iis praetermissa animadvertat, totum textum visum est mihi hic perscribere eosdemque locos apponere ex Hieronymi versione a Tischendorfio edita.

Fragmentum Quedlinburgense A.

1. (?) REGNORUM.

*et v*IREXFILIISBENIA	1	NERUNT ETTRANSIERUNT*
min et NOMENEIERAT	2	PERTERRAMLAMIN ET
*Cis filius A*BIELFILISARARAE*	3	NONINUENERUNT ET
*fili Bac*HIRFILIARETFILI	4	INTRAUERUNTINSIPHĀ
*viri Ie*MNAEI·	5	ETSAULDIXITPUEROSUO
*vir pot*ENS · ETHUICFI	6	QUICUMEOERAT UENI
*lius er*AT ETNOMENEI	7	REUERTAMUR · NERELE
*erat Sa*UL STATURABO	8	UATUSPATERMEUS NEG
*na, vi*RBONUS NON	9	LEGATDEASINIS ETSOLLI
*erat vi*RNEMOMELIOR*	10	CITUSSITPRONOBIS ETDI
super HUNCINFILIISIS	11	XITEIPUER ECCEHOMO
trahel NE*q*UELONGIOR*	12	D̄EI · INHACESTCIUITATE·
*super hu*MEROSEIUS SU	13	ETHOMOPRAECLARUS·
*per tot*AMTERRAM	14	ETQUIDQUIDLOCUTUSFUE
*et perier*UNTASINAEPA	15	RITCONTINGET ETNUNC
*tris Sau*LIS CIS ETDIXIT	16	EAMUSUTINDICETNO
*Cis ad sa*ULFILIUMSUUM·	17	BISUIAMNOSTRAM IN
*tolle unum*EPUERISETSUR	18	QUAPROFECTISUMUS
*gite et i*TE ETQUAERITE	19	ETDIXITSAULPUEROSUO:
asinas ET *tra*NSIERUNT*	20	ECCEIBIMUS ETQUIDOFFE
*in mo*NTEMEFREM	21	REMUSEI QUONIAMPA
*et tra*NSIErUNTPE*r ter*	22	NESDEFECERUNTNOBIS·
*ra*MSELIHA ETNO*n*	23	UTOFFERAMUSHOMINI
*inven*ERUNT ETTRANS	24	D̄EI · QUODSUFFICIATNO
*ieru*NT(*)PER*t*ERRAMSA	25	BIS ETRESPONDITPUER
*gali*N ET *non inve-*	26	SAULIETDIXIT ECCEINUE*ni*

Fragmentum Quedlinburgense B.

REGNORUM.

*et f*AC*tu*MESTUERBU
DNI ADSAMUELDICENS
PAENITETME QUONIĀ
CON*st*ITUISAULRE
GEM QUONIAMAUER
SUSESTAME ETUERBA
MEANONSTATUIT ET
CONTRISTATUSESTSA
MUEL · *e*TCLAMAUITAD
DN̄M · *t*OTANOCTE ET
ANTELUCEMSAMUEL
ABIITINOBUIAM ETRE
NUNTIARUNTSAMUEL
DICENTES ABIITSAULIN
CARMELLUM ETSAMU
ELADDUXITADSEMANŪ·
ETCIRCUMEGITCURRUM·
ETDE*sc*ENDITINGALGA
LA E*t v*ENITSAMUELAD
SAUL *e*TECCESAULOFFE
REB*at* hOLOCAUSTUM
DN̄O *in*ITIAPRAEDARŪ·
QUA*e adt*ULITEXAMA
LECH *e*TPERUENIT*s*A
MUE*l ad* SAUL ETDIXIT
EISA*ul* BENEDICTUSTU

DN̄O · STATUATOMNIA
QUAELOCUTUSEST · DN̄S
ETDIXITSAMUEL ET
QUAEESTUOXHUIUSGRAE*
GISINAURIBUSMEIS ET
UOXBOUMQUAMEGO
AUDIO ETDIXITSAUL·
EXAMALECHADTULIEA
QUAEPRAEDAUITPOPU
LUSOPTIMAGRAEGISET
BOUMIMMOLENTUR
DN̄O · DĒO · TUO RELIQUA
AUTEMDISPERDIDIET
EXTERMINAUI·
ETDIXITSAMUELADSAUL
EXPECTAETINDICOTIBI
QUAELOCUTUSEST · DN̄S·
ADMENOCTE ETDIXIT
EISAULLOQUERE ETDI
XITSAMUELADSAUL·
NONNEMINIMUSERAS
TUINCONSPECTUTUO·
DUXSPECTORUM DE
TRIBUISTRAHEL ETUN*
XITT*e* · DN̄S · INREGEM
SUPERISTRAHEL ETMI*sit*

Liber I. Regum cap. IX. versionis Hieronymianae.

1. Et erat vir de Beniamin nomine Cis, filius Abiel, filii Seror, filii Bechorath, filii Aphia, filii viri Iemini, fortis robore. 2. Et erat ei filius vocabulo Saul, electus et bonus: et non erat vir de filiis Israel melior illo. ab humero et sursum eminebat super omnem populum. 3. Perierant autem asinae Cis patris Saul: et dixit Cis ad Saul filium suum: Tolle tecum unum de pueris, et consurgens vade, et quaere asinas. Qui cum transissent per montem Ephraim, 4. et per terram Salisa, et non invenissent, transierunt etiam per terram Salim, et non erant: sed et per terram Iemini, et minime repererunt. 5. Cum autem venissent in terram Suph, dixit Saul ad puerum, qui erat cum eo: Veni et revertamur, ne forte dimiserit pater meus asinas, et sollicitus sit pro nobis. 6. Qui ait ei: Ecce vir Dei est in civitate hac, vir nobilis: omne, quod loquitur, sine ambiguitate venit. Nunc ergo eamus illuc, si forte indicet nobis de via nostra, propter quam venimus. 7. Dixitque Saul ad puerum suum: Ecce ibimus: quid feremus ad virum Dei? panis defecit in sitarciis nostris: et sportulam non habemus, ut demus homini Dei, nec quidquam aliud. 8. Rursum puer respondit Sauli, et ait: Ecce inventa est . . .

Liber I. Regum cap. XV. versionis Hieronymianae.

10. Factum est autem verbum Domini ad Samuel, dicens: 11. Poenitet me quod constituerim
Saul regem: quia dereliquit me, et verba mea opere non implevit. Contristatusque est Samuel, et
clamavit ad Dominum tota nocte. 13. Cumque de nocte surrexisset Samuel, ut iret ad Saul mane,
nunciatum est Samueli, eo quod venisset Saul in Carmelum, et erexisset sibi fornicem triumphalem, et
reversus transisset, descendissetque in Galgala. Venit ergo Samuel ad Saul, et [Saul offerebat
holocaustum Domino de initiis praedarum, quae attulerat ex Amalec. 13. Et cum venisset Samuel
ad Saul,] dixit ei Saul: Benedictus tu Domino, implevi verbum Domini. 14. Dixitque Samuel: Et
quae est haec vox gregum, quae resonat in auribus meis, et armentorum, quam ego audio? 15. Et
ait Saul: De Amalec adduxerunt ea: pepercit enim populus melioribus ovibus et armentis ut immola-
rentur Domino Deo tuo, reliqua vero occidimus. 16. Ait autem Samuel ad Saul: Sine me, et indicabo
tibi quae locutus sit Dominus ad me nocte. Dixitque ei: Loquere. 17. Et ait Samuel: Nonne cum
parvulus esses in oculis tuis, caput in tribubus Israel factus es? unxitque te Dominus in regem super
Israel. 18. et misit te Dominus . . .

Fragmentum Magdeburgense.

A.

TRANSIERUNTIORDANE̅·	1	INTERDOMUM*David*
ETABIERUNTTOTAMPRAE*	2	ETDAUIDIBATE*t vin-*
TENTURAM ETUENERUNT*	3	CEBAT ETDOM*us Saul ibat*
INCASTRAMADIAM ET	4	ETINFIRMABA*tur · Et na-*
IOABREUERSUSESTDE	5	TISUNTDAUIDF*ilii in*
POSTABENNFR ETCON	6	CHEBRON ETE*rat pri-*
GRAEGARUNTTOTUM	7	MIGENITUSILL*ius A-*
POPULUM ETUISISUNT	8	MONEXACHIN*nom Is-*
APUERISDAUIDDECEM	9	TRAHE*li*TIDE *et secun-*
ETNOUEMPUERIS ETASA	10	DUSIL*l*IUSDA*luia ex*
EL ETPUERIDAUIDPERCUS*	11	ABIGAEADE *Carmel-*
SERUNTDEFILIISBENIA	12	LO *et te*RTIU*s Absa-*
MININ · CCCLX · UIROSAB	13	LONFILIUSMA*acha*
ILLO ETSUSTULERUNTA	14	FILIAETHLOM*ai regis*
SAELEM ETSEPELIERUNT*	15	GEZIR ETQUA*rtus Or-*
ILLUMINMONIMENTO	16	NIASFILIUSA*ggith et*
PATRISILLIUSINBETHLE̅	17	QUINTUSSAP*hatia*
ETABIERUNTTOTANOCTE	18	FILIUSABIT*al et*
IOABETUIRIILLIUS ETLU	19	SEXTUSIETH*roam*
XITILLISINCHEBRON ET	20	EXAEGLAUXOR*e*
FACTAESTPUGNAMAGNA	21	IST*inati*SUNTDAUID
INTERDOMUMSAUL ET	22	INCH*ebro*N ·

Liber II. Regum cap. II 29—III 5 versionis Hieronymianae.

29. Abner autem et viri eius abierunt per campestria, tota nocte illa: et transierunt Iordanem,
et lustrata omni Bethhoron, venerunt ad Castra. 30. Porro Ioab reversus, omisso Abner, congregavit
omnem populum: et defuerunt de pueris David decem et novem viri, excepto Asaele. 31. Servi autem
David percusserunt de Beniamin, et de viris, qui erant cum Abner trecentos sexaginta, qui et mortui

sunt. 32. Tuleruntque Asael, et sepelierunt eum in sepulcro patris sui in Bethlehem: et ambulaverunt tota nocte Ioab et viri qui erant cum eo, et in ipso crepusculo pervenerunt in Hebron.

1. Facta est ergo longa concertatio inter domum Saul, et inter domum David:. David proficiens, et semper seipso robustior, domus autem Saul decrescens quotidie. 2. Natique sunt filii David in Hebron: fuitque primogenitus eius Amnon de Achinoam Iezrahelitide. 3. Et post eum Cheleab de Abigail uxore Nabal Carmeli: porro tertius Absalom filius Maacha filiae Tholmai regis Gessur. 4. Quartus autem Adonias, filius Haggith: et quintus Saphathia, filius Abital. 5. Sextus quoque Iethraam de Egla uxore David. hi nati sunt David in Hebron.

Fragmentum Magdeburgense.

B.

ETMISITSOLOMONAD
CHIRAMDICENS TU
SCISDAUIDPATREM
MEUMQUIANONPO
TUITAEDIFICAREDOMŪ
NOMINE DĒI · MEIAFA
CIEPUGNARUMCIRCŪ
GYRANTIUMILLUM ·
USQUEDUMDARETILLOS
DN̄S · SUBUESTIGIAPE
DUMILLIUS ETNUNC
PAUSAMDEDIT · DN̄S ·
DS̄ · MEUSMIHIINGYRO ·
NONESTCONIURATUS ·
ETNONESTINCURSUS
MALUS PROPTERHOC
EGODICO AEDIFICABO
DOMUM · DN̄I · MEI SI
CUTLOCUTUSEST · DS̄ · AD
DAUIDPATREMMEUM
DICENS · FILIUSTUUSQUĒ
DABOPROTESUPERTHRO
NUMTUUM HICAEDIFI
CABITDOMUMNOMI
NIMEO ETNUNCPRAE
CIPE CEDANTMIHITRA

BESEXLIBANO ETIBUNT
SERUIMEICUMSERUIS
TUIS ETDABOTIBIQUAE
CUMQUEDIXERIS QUO
NIAMTVS*ci*S QUONIĀ
NONESTINNOBISUIR
QUISCIATCAEDERETRA
BES SICUTSCIUNTSIDO*ni*I
ETFACTUMESTUTAUDI
UITCHIRAREXUERBA*s*O
LOMONISGAUISUSEST
UALDEETDIXIT BENEDIC
TUS · DS̄ · HODIE QUIDEDIT
FILIUMDAUIDSAPIENTĒ
SUPERPOPULUMMULTŪ
REGEM ETMISITADSO
LOMONEMDICENS AU
DIUIOMNIADEQUIBUS
MISISTIADME EGOFACI
AMOMNEMUOLUNTA
TEMTUAM TRABESCE
DRINASETPINNASSERUI
MEIFACIENT*et* DEDU
CENTILLA*s*A*li*BANO
ADMARE EGO*p*O*nam*
ILLASRAT*es* US*q*UEINLO*cum*

Liber III. cap. V. 2—9 versionis Hieronymianae.

2. Misit autem Salomon ad Hiram dicens: 3. Tu scis voluntatem David patris mei, et quia non potuerit aedificare domum nomini Domini Dei sui propter bella imminentia per circuitum, donec daret Dominus eos sub vestigio pedum eius. 4. Nunc autem requiem dedit Dominus Deus meus mihi per circuitum: et non est satan, neque occursus malus. 5. Quamobrem cogito aedificare templum nomini Domini Dei mei, sicut locutus est Dominus David patri meo, dicens: Filius tuus, quem dabo pro te super solium tuum, ipse aedificabit domum nomini meo. 6. Praecipe igitur ut praecidant mihi servi

tui cedros de Libano, et servi mei sint cum servis tuis: mercedem autem servorum tuorum dabo tibi quamcunque petieris: scis enim quomodo non est in populo meo vir qui noverit ligna caedere sicut Sidonii. 7 Cum ergo audisset Hiram verba Salomonis, laetatus est valde, et ait: Benedictus Dominus Deus hodie, qui dedit David filium sapientissimum super populum hunc plurimum. 8. Et misit Hiram ad Salomonem, dicens: Audivi quaecunque mandasti mihi: ego faciam omnem voluntatem tuam in lignis cedrinis et abiegnis. 9. Servi mei deponent ea de Libano ad mare: et ego componam ea in ratibus in mari usque ad locum . . ."

Litteras fragmentorum unciales esse vix opus est dicere. Asteriscis nexus ac ligaturas binarum litterarum vel trinarum indicavi, quibus scriptor in extremis versibus saepius, semel in medio usus est. Longe plurima verba dedit continua, dedita opera distinxit membra quaedam orationis et vocabula *dominus, deus.* Et haec quidem reverentiae ac pietatis causa lineola superducta binisque punctis, quorum alterum praecedit, alterum sequitur vocabula, insignivit. Quae quod haud omnibus locis servata sunt, qui scripturam passim oblitteratam oculis perstrinxerit, haud demirabitur.

Interpretem secutum esse LXX, sua sponte intellegitur; sed fragmenti Quedlinburgensis A partis dexterae 22—23, id est I. Reg. cap. IX v. 7, graecum textum accurate vertere supersedit. Vix enim crediderim, ullum extitisse textum, qui loco eorum quae sunt perscripta sic: *ὅτι οἱ ἄρτοι ἐκλελοίπασιν ἐκ τῶν ἀγγείων ἡμῶν εἰσενεγκεῖν τῷ ἀνθρώπῳ τοῦ θεοῦ τὸ ὑπάρχον ἡμῶν* quidquam habuerit simile repetitionis illius: *quid offeremus ei, . . . ut offeramus.* Sed *Viam nostram in qua profecti sumus,* quamquam LXX scribunt *τὴν ὁδὸν ἡμῶν ἐφ' ἣν ἐπορεύθημεν ἐπ' αὐτὴν*, habet quo excusetur, siquidem ne Tullianae quidem aetatis monumenta legalia a tali confusione casuum se abstinent; quid quod ipsi grammatici nescierunt, quid inter accusativum et ablativum interesset?

Lib. I. Reg. XV 11: *verba mea non statuit;* interpres noster legit *τοὺς λόγους μου οὐκ ἔστησε* cum codice Alexandrino; alii libri habent *ἐτήρησε;* cf. „Vetus testamentum graece iuxta LXX interpretes", edd. Tischendorf et Nestle; Field, „Origenis hexaplorum quae supersunt."

Sed v. 13 non *ἔστησα* videtur legisse, quod hodie est in libris, sed *στήσῃ*.

Quod ad scripturam *Istrahel, Istrahelitide* attinet, confer *Esdras, Osdroeni.* In codice Claromontano epistularum Paulinarum *Israhel* iam bis terve legitur.

L et I sexcenties et in libris et in inscriptionibus confunduntur, quapropter *terram Lamin* facile condonabimus. Num fuerint, qui *Beniaminin* legerent, nescio.

III. Contrire.

Ernestus Ranke in libello qui inscribitur „Natalitia LV etc. Marb. 1856. Insunt latinae Veteris Testamenti versionis antehieronymianae fragmenta e codice Fuldensi eruta" pag. 31 testatur codicem Fuldensem Hos. VIII 5 habere haec:

CONIRIUITULUM
TUUMSAMARIA

Ipse pag. 16 adnotat, quod CONIRI scriptum sit pro CONTERE, ad criticorum errorum genus pertinere. Sed in Danielis versione XI 20 fragmenta Wirceburgensia, ed. Ranke („Par Palimpsestorum") eiusdem verbi insolitam formam praebent: *et in diebus illis contrientur et neque in facie neque in bello stabit.* Adnotat p. 159: *Quod scriba CONTRIENTVR scripsit pro CONTERENTVR, e malo potius illius auditu quam e malo visu explicari videtur."* Cf. Praef. p. X.

Si quis in uno verbo summum virum, qui multarum huius disciplinae partium aditum patefecit, errare censet, is vix vereor ne arrogantiae reprehensionem incurrat. Et CONIRI quidem haud recte

cum legisse suspicor scribamque dedisse CONTRI imperativum quartae declinationis eius verbi, quod in futuro cadit *contriam*, *contries*, ut *audiam*, *audies*. Nam altero loco LXX scribunt: *ἀπότριψαι τὸν μόσχον σου Σαμάρεια*, altero *συντριβήσεται*.

Eandem emendationem protulit Ph. Thielmann in Wölfflinii *Archiv für lateinische Lexikographie und Grammatik*, III. 1886 p. 542. Ne igitur aliena ad meam me usum convertisse suspiceris, adiicere liceat, hanc emendationem cum Wölfflinio me prius, mense Augusto anni 1886, communicasse, quo tempore neque illi neque mihi Thielmanni coniectura innotuerat.

Vincentius De Vit in editione lexici Forcelliniani tom. II p. 444 citat *Apul. 7 Met. 17:* ibi *contribam* pro *conterebam* legi ex optimorum codicum auctoritate: *forma tamen explicari nequit.* Sed iam ad eandem declinationem quartam referemus. Nimirum non modo grammaticorum sectas anomaliae et analogiae contentio exercuit, sed in sermone vulgi quoque verba anomala ad analogiam revocantur. Hoc igitur studio ducti homines aut ab eo quod est *contero* profecti dixerunt *conterui*, aut a praeterito *contrivi* novum praesens, nisi vetustissimum fuit, fecerunt *contrio*, *contrire*.

Haurio, *haurii*, *haurierant* et *fugio*, *fugii* etc. in evangelistariis permultis, hoc quoque in epistulis Paulinis offendi.

IV. Is, hic, ille.

1. Vulgata nostra pronominibus quae sunt vel videntur esse *hic* et *is* in epistulis Paulinis haud eadem ratione atque in ceteris Scripturae Sacrae partibus utitur. Legimus enim

a. dativum vel ablativum casum plur. subsequente pronomine relativo:

Rom. 2,7 iis quidem qui . . . incorruptionem quaerunt: *τοῖς μὲν . . . ζητοῦσιν.*
8 iis autem qui sunt ex contentione et qui non acquiescunt veritati: *τοῖς δὲ ἐξ ἐριθείας καὶ ἀπειθοῦσι . . .*
3,19 quaecumque lex loquitur iis qui in lege sunt loquitur: *τοῖς ἐν τῷ νόμῳ.*
4,12 non iis tantum qui sunt ex circumcisione, sed et iis qui sectantur vestigia fidei: *τοῖς οὐκ ἐκ περιτομῆς μόνον, ἀλλὰ καὶ τοῖς στοιχοῦσιν.*
8,1 nihil damnationis est iis qui sunt in . . . : *τοῖς ἐν . . .*
28 scimus autem quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis qui secundum propositum vocati sunt sancti: *τοῖς αγαπῶσιν . . ., τοῖς κατὰ πρόθεσιν κλητοῖς οὖσιν.*
10,20 inventus sum a non quaerentibus me, palam apparui iis qui me non interrogabant: *τοῖς ἐμὲ μὴ ζητοῦσιν . . . τοῖς ἐμὲ μὴ ἐπερωτῶσιν.*
I. Cor. 1,11 significatum est mihi ab iis qui sunt Chloes: *ὑπὸ τῶν Χλόης.*
18 pereuntibus quidem stultitia est, iis autem qui salvi fiunt, id est nobis: *τοῖς μὲν ἀπολλυμένοις . . . τοῖς δὲ σωζομένοις ἡμῖν.*
2,9 quae praeparavit Deus iis qui diligunt illum: *τοῖς ἀγαπῶσιν αὐτὸν.*
5,12 quid enim mihi de iis qui foris sunt iudicare? *τοὺς ἔξω κρίνειν . . .*
nonne de iis qui intus sunt: *οὐχὶ τοὺς ἔσω.*
7,10 iis autem qui matrimonio iuncti sunt: *τοῖς δὲ γεγαμηκόσιν.*
8,1 de iis autem quae idolis sacrificantur: *περὶ δὲ τῶν εἰδωλοθύτων.*
9,14 Dominus ordinavit iis qui Evangelium annuntiant: *τοῖς τὸ εὐαγγέλιον καταγγέλλουσιν.*
20,21 iis qui sub lege sunt . . . iis qui sine lege erant: *τοῖς ὑπὸ νόμον . . . τοῖς ἀνόμοις.*
II. Cor. 2,15 in iis qui salvi fiunt et in iis qui pereunt: *ἐν τοῖς σωζομένοις καὶ ἐν τοῖς ὀλλυμένοις.*
4,3 in iis qui pereunt: *ἐν τοῖς ἀπολλυμένοις.*
10,16 etiam in illa, quae ultra vos sunt, evangelizare, non in aliena regula in iis quae praeparata sunt gloriari: *εἰς τὰ ὑπερέκεινα ὑμῶν . . . οὐκ εἰς τὰ ἕτοιμα καυχήσασθαι.*
12,11 nihil minus fui ab iis qui sunt supra modum Apostoli: *τῶν ὑπερλίαν ἀποστόλων.*
21 ne lugeam multos ex iis qui ante peccaverunt: *πολλοὺς τῶν προαμαρτηκότων.*
13,2 praedixi et praedico . . . iis qui ante peccaverunt: *τοῖς προαμαρτηκόσιν.*

Gal. 2,2 praedico evangelium . . . seorsum iis qui videbantur aliquid esse: *κατ' ἰδίαν δὲ τοῖς δοκοῦσιν.*

4,8 iis qui natura non sunt dii serviebatis: *τοῖς φύσει μὴ οὖσιν θεοῖς.*

Eph. 2,17 evangelizavit pacem vobis qui longe fuistis et pacem iis qui prope: *ὑμῖν τοῖς μακρὰν καὶ εἰρήνην τοῖς ἐγγύς.*

Col. 2,1 qualem sollicitudinem habeam pro vobis et pro iis qui sunt . . .: *ὑπὲρ ὑμῶν καὶ τῶν ἐν . . .*

4,13 habet multum laborem pro vobis et iis qui sunt . . .: *ὑπὲρ ὑμῶν καὶ τῶν ἐν . . .*

II. Thes. 1,6 retribuere tribulationem iis qui vos tribulant: *τοῖς θλίβουσιν ὑμᾶς.*

8 in flamma ignis dantis vindictam iis qui non noverunt Deum: *τοῖς μὴ εἰδόσιν.*

3,10 in omni seductione iniquitatis iis qui pereunt: *τοῖς ἀπολλυμένοις.*

12 iis autem qui eiusmodi sunt denuntiamus: *τοῖς δὲ τοιούτοις.*

I. Tim. 3,7 testimonium habere bonum ab iis qui foris sunt: *ἀπὸ τῶν ἔξωθεν.*

4,3 et iis qui cognoverunt veritatem: *καὶ ἐπεγνωκόσι.*

5,16 iis quae vere viduae sunt: *ταῖς ὄντως χήραις.*

II. „ 2,22 pacem cum iis qui invocant Dominum: *μετὰ τῶν ἐπικαλουμένων . . .*

3,14 permane in iis quae didicisti: *μένε ἐν οἷς ἔμαθες.*

4,8 non solum autem mihi sed et iis qui diligunt adventum eius: *πᾶσι τοῖς ἠγαπηκόσι.*

Hebr. 4,2 non profuit illis sermo auditus non admistus fidei ex iis quae audierunt: *τοῖς ἀκούσασιν.*

5,1 pontifex . . . constituitur in iis quae sunt ad Deum: *καθίσταται τὰ πρὸς τὸν θεόν.*

5,2 qui condolere possit iis qui ignorant: *τοῖς ἀγνοοῦσιν.*

5,8 didicit ex iis quae passus est obedientiam: *ἔμαθεν ἀφ' ὧν ἔπαθεν.*

11,7 Fide Noë, responso accepto de iis quae adhuc non videbantur: *περὶ τῶν μηδέπω βλεπομένων.*

Tribus locis *eis qui* habetur:

Col. 1,2 eis qui sunt Colossis sanctis et fidelibus fratribus: *τοῖς ἐν Κολοσσαῖς ἁγίοις καὶ . . .*

Hebr. 2,3 salutem quae . . . ab eis qui audierunt in nos confirmata est: *ὑπὸ τῶν ἀκουσάντων.*

2,18 in eo enim in quo passus est ipse et tentatus, potens est et eis qui tentantur auxiliari: *τοῖς πειραζομένοις.*

b. Casus multitudinis rectus est *ii*, non solum ubi eodem quo supra modo participii explicandi causa ponitur,

Hebr. 4,6 ii quibus prioribus annuntiatum est non introierunt: *οἱ πρότερον εὐαγγελισθέντες,*

sed etiam ubi *hi* expectes:

Rom. 11,24 quanto magis ii qui secundum naturam inserentur suae olivae: *οὗτοι οἱ κατὰ φύσιν ἐνκεντρισθήσονται.*

Praecedit alterum pronomen

Rom. 8,14 quicumque enim spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei: *ὅσοι γὰρ πνεύματι θεοῦ ἄγονται, οὗτοι υἱοί εἰσιν θεοῦ.*

9,6 non enim omnes qui ex Israel sunt, ii sunt Israelitae: *οὐ γὰρ πάντες οἱ ἐξ Ἰσραήλ, οὗτοι Ἰσραήλ.* cf. Tischendorf ed. VIII. mai.

Gal. 3,7 cognoscite ergo, quia qui ex fide sunt, ii sunt filii Abrahae: *ὅτι οἱ ἐκ πίστεως, οὗτοι υἱοί εἰσιν Ἀβραάμ.*

Contra *hi* est

Rom. 9,8 non qui filii carnis, hi filii Dei: *οὐ τὰ τέκνα τῆς σαρκὸς, ταῦτα τέκνα τοῦ θεοῦ.*

Gal. 6,12 quicumque enim volunt placere in carne, hi cogunt vos circumcidi: *ὅσοι θέλουσιν . . . οὗτοι ἀναγκάζουσιν.*

Nullo epistularum Paulinarum loco Vulgata scribit *hi qui, his qui.*

In reliquis Sacrae Scripturae partibus pronomina a Vulgatae editoribus aliter tractantur.

I. Pet. 2,8 petra scandali his qui offendunt: *πέτρα σκανδάλου οἳ προσκόπτουσιν.*

3,13 his qui in carcere erant spiritibus: *τοῖς ἐν φυλακῇ πνεύμασιν.*

4,3 his qui ambulaverunt in luxuriis: *πεπορευμένους ἐν ἀσελγείαις.*

II. Pet. 1,1 iis qui coaequalem sortiti sunt: *τοῖς . . . λαχοῦσιν.*

2,12 in his qui ignorant blasphemantes: *ἐν οἷς ἀγνοοῦσιν.*
I. Ioh. 2,26 haec vobis scripsi de his qui seducuntur: *περὶ τῶν πλανώντων.*
Iud. 1, his qui sunt in Deo patre dilectis: *τοῖς ἠγαπημένοις.*
Apoc. 2,9 blasphemaris ab his qui se dicunt Iudaeos esse: *ἐκ τῶν λεγόντων Ἰουδαίους εἶναι ἑαυτούς.*
6,10 non vindicas sanguinem nostrum ab iis qui habitant: *ἐκ τῶν κατοικούντων.*
20,12 iudicati sunt mortui ex his quae scripta erant: *ἐκ τῶν γεγραμμένων.*
21,19 auferet Deus partem eius . . . de his quae scripta sunt: *ἐκ . . . τῶν γεγραμμένων.*

Nominativus pluralis, priusquam ad maiores partes Bibliorum transeamus, afferatur ex
I. Pet. 4,19 hi qui patiuntur secundum voluntatem Dei: *οἱ πάσχοντες.*
Duobus locis legisti *iis qui*, ceteris *his qui.*
Idem fere observas in Actibus Apostolorum.

Act. 1,21 ex his viris qui nobiscum sunt congregati: *τῶν συνελθόντων ἡμῖν ἀνδρῶν.*
8,6 intendebant turbae his quae a Philippo dicebantur: *τοῖς λεγομένοις.*
10,7 militem metuentem Dominum ex his qui illi parebant: *τῶν προσκαρτερούντων αὐτῷ.*
13,30(31) visus est per dies multos his qui simul ascenderant: *τοῖς συναναβᾶσιν.*
15,23 apostoli et seniores fratres his qui sunt Antiochiae fratribus: *τοῖς κατὰ τὴν Ἀντιόχειαν . . . ἀδελφοῖς.*
16.14 cor intendere his quae dicebantur a Paulo: *τοῖς λαλουμένοις ὑπὸ Παύλου.*
18,21 contulit multum his qui crediderant: *τοῖς πεπιστευκόσιν.*
20,34 ad ea quae mihi opus erant et his qui mecum sunt.
21,25 de his autem qui crediderunt ex gentibus: *περὶ δὲ τῶν πεπιστευκότων.*
26,20 his qui sunt Damasci: *τοῖς ἐν Δαμασκῷ.*
27,11 nauclero magis credebat, quam his quae a Paulo dicebantur: *μᾶλλον ἐπείθετο ἢ τοῖς ὑπὸ Παύλου λεγομένοις.*
28,24 et quidam credebant his quae dicebantur: *τοῖς λεγομένοις.*
19,19 multi autem ex eis qui erant curiosa sectati: *ἱκανοὶ δὲ τῶν τὰ περίεργα πραξάντων.*
17,6 quoniam hi, qui urbem concitant, et huc venerunt: *οἱ τὴν οἰκουμένην ἀναστατώσαντες, οὗτοι καὶ ἐνθάδε πάρεισιν.*

Ceteris casibus tantum non semper pronomen *is, ea, id* adhibetur. Ut ad epistulas Paulinas redeamus, sufficiet ex una ad Romanos data adscribere haec: *per eam quae invicem est fidem, iniustitiam hominum eorum qui . . ., per ea quae facta sunt, in eum usum qui est . . ., ut faciant ea quae non conveniunt, iudicium est in eos qui talia agunt, ea quae legis sunt faciunt, lumen eorum qui in tenebris sunt, iudicabit id quod ex natura est, sub labiis eorum quorum, iustificans eum qui est ex fide, ei autem qui operatur, ei vero qui non operatur, credenti in eum qui iustificat, non ei qui ex lege est solum, sed et ei qui ex fide est Abrahae, ea quae non sunt, tamquam ea quae sunt, credentibus in eum qui suscitavit, regnavit mors in eos qui non praevaricaverunt, servi estis eius cui obeditis, in eam formam doctrinae, in quam traditi estis, spiritus eius qui suscitavit, propter eum qui subiecit eam in spe, superamus propter eum qui dilexit nos, dicit figmentum ei qui se finxit, quomodo credent ei quem non audierunt, in eos quidem qui ceciderunt, vindex in iram ei qui malum agit, is qui manducat, non manducantem non spernat, nisi ei qui existimat quid commune esse, qui non iudicat semetipsum in eo quod probat, non enim audeo aliquid loqui eorum quae per me non efficit, salutate eos qui sunt ex Aristoboli domo, eos qui sunt ex Narcissi domo, observetis eos qui dissensiones faciunt, ei autem qui potens est vos confirmare.*

Quamquam pronomen *hic, haec, hoc* in isto enuntiatorum genere non prorsus desideratur:
Apoc. 2,10 Nihil horum timeas quae passurus es: *μὴ φοβοῦ, ἃ μέλλεις πάσχειν.*
Act. 8,24 nihil veniat super me horum quae dixistis: *μηδὲν ἐπέλθῃ ἐπ' ἐμὲ ὧν εἰρήκατε.*
Ille qui item invenis, raro tamen pro multitudine locorum, ubi *is, hic* editur.
Act. 9,7 Viri autem illi, qui comitabantur cum eo: *οἱ δὲ ἄνδρες οἱ συνοδεύοντες αὐτῷ.*
11,19 Et illi quidem, qui dispersi fuerant . . .; *οἱ μὲν οὖν διασπαρέντες . . .*

LECTIONES.

I. ORDO THEOLOGORUM.

Dr. Henr. Oswald, P. P. O., h. t. Decanus.

I. Doctrinae de redemptione si qua pars supererit, eam absolvet; deinde de gratia Christi ac de iustificatione disputabit; tandem tractatum de ss. sacramentis inchoabit: quinquies vel sexies per hebd. hora X.
II. Praemissa introductione selectos psalmos interpretabitur: bis terve per hebd. hora VII. antemerid.
III. Linguae hebraicae grammaticam exponet addens exercitationes interpretatorias: bis terve per hebd. hora VII. antemerid.

Dr. Franc. Dittrich, P. P. O.

I. Historiam ecclesiasticam recentioris temporis enarrabit quater per hebd. hora IX—X.
II. De arte christiana disseret bis per hebd. hora IX—X.

Dr. Hugo Weiss, P. P. O.

I. Introductionem generalem in sacros utriusque testamenti libros dabit bis per hebd. hora II.
II. S. Pauli epistolas ad Galatas et Ephesios explicabit ter per hebd. hora VIII.
III. Repetitiones exegeticas instituet semel per hebd. hora definienda.
IV. Grammaticam Syriacam docebit semel per hebd. hor. def.

D. Julius Marquardt, P. P. O.

I. Doctrina christiana de virtutibus et officiis vitae socialis ad finem perducta, principia theologiae moralis exponet quinquies vel sexies per hebd. hora XI.
II. Repetitiones de selectis capitibus ethicae christianae instituet semel per hebd. hora XI.
III. Introductione in patrologiam praemissa de vitis et scriptis Patrum apostolicorum disseret hor. deff.

II. ORDO PHILOSOPHORUM.

Dr. Jos. Bender, P. P. O., h. t. decanus.

I. Historiae recentioris partes praecipuas tradet ter per hebd. hora XI.
II. Germanorum antiquitates, imprimis res mythologicas, enarrabit bis per hebd. hora XI.

III. Historiam poësis christianae apud Germanos cultae exponet selectorumque carminum interpretatione illustrabit semel per hebd. hora XI.
IV. De critica historiae tractandae ratione disseret semel per hebd. h. d.

Dr. Wilh. Weissbrodt, P. P. O.

I. Antiquitates quas vocant ex inscriptionibus graecis et latinis enarrabit bis hebdomade hora IX.
II. Euripidis Iphigeniam Tauricam interpretabitur bis hebdomade hora IX.
III. Exercitationes philologas moderabitur hor. deff.

Dr. Wilh. Killing, P. P. O.

I. De legum naturalium divinaeque revelationis consensu disseret sexies hebdomade hora VIII.
II. Historiam mathematicae enarrabit hor. deff.
III. Geometriam analyticam tradet hor. deff.

Dr. Jos. Krause, P. P. E.

I. Introductionem in philosophiam offert bis per hebd. hora X.
II. Logicam et noëticam docebit ter per hebd. hora X.
III. Historiam philosophiae Graecorum explicabit semel per hebd. hora X.
IV. Paedagogicen docebit bis per hebd. horis definiendis.

Publica doctrinae subsidia.

Bibliotheca, cui praeest **Prof. Dr. Weiss,** commilitonibus patebit diebus Martis et Veneris hora II—III.

Instrumenta, quae ad physicen, mathematicam et astronomiam pertinent, asservat **Prof. Dr. Killing.**